

demonstrasse se putet. „ Attamen isti responso, cum non reperiatur in collectaneis, inest auctoritas non ipsius quidem Congregationis, sed virorum doctorum qui ita respondendum esse censuerunt.

Nequaquam tamen admittimus probabiliter satisfacere eum qui (secluso speciali privilegio) inciperet Matutinum ante horam secundam seu a meridie, postquam *privatim* recitavit Vesperas, vel qui officium diurnum ante mediam noctem inchoaret. Ratio utriusque e modo quo sententiam nostram de anticipatione Matutini et Laudum exposuimus, satis liquet.

**56. V. Parvae horae** recitandae sunt tempore antemeridiano; Sexta tamen et Nona etiam post meridiem recitari possunt. Licet quoque omnes post meridiem recitare ob quamvis causam utilem, quae non sit mera commoditas recitantis, puta ob majorem devotionem vel quietem, ad habendum tempus aptius studio aliive labori etc. (S. Alph. l. 5. n. 173)

**VI. Vesperae et Completorium** a meridie usque ad mediam noctem recitanda sunt. Tempore tamen Quadragesimae Vesperas (non Completorium) recitare licet ab hora undecima matutina. Cfr. rubricam Breviarii ad feriam 4<sup>am</sup> Cinerum. Utamque partem mane recitare licet ob causam rationabilem, ut supra (V)

Si quis praevidet impedimentum tempore pomeridiano adfuturum, ex. gr. ob febrim quae tunc recurrere solet, ob continuas confessiones audiendas, etc. sententia communis cum S. Alph. (n. 155) tenet eum obligari ad Nonam, Vesperas et Completorium mane recitanda: quia officium praecipitur recitari intra latitudinem totius diei; unde, cum praeceptum jam urgeat, adimplendum est tempore non impedito. Non deest tamen sua probabilitas opinioni contrariae, eo quod facultas anticipandi est potius favor factus privatis, nemo autem favore uti tenetur. Ita Ball. P. (n. 203) allegans Sanchez, Lessium. Viva, etc. Verum id extendi nequit ad impedimentum quod libere assumatur.

**VII.** In recitatione officii divini, speciatim in anticipando Matutino, et in recitatione Vesperarum, unicuique liberum est sequi *tempus verum* (quod horologiis solaribus indicatur); — vel *tempus medium* (quod, deficiente speciali conventionem, indicare solent horologia artefacta); — vel *tempus legale* (quod, ubi viget specialis conventio, indicant eadem horologia). Constat e pluribus responsis Romanis. Sic S. Poenit. (29 Nov. 1882) respondit: „ Fideles in jejuniis naturali servando et in officio divino recitando, sequi tempus medium posse, sed non teneri. „ Et S. C. Conc. (23 Jul. 1893) Episcopo Trevirensi respondit posse clericos in persolvendis Horis sequi tempus legale nuper in Germaniam

invectum, quod spatio semi-horae tempus locorum medium superet. Ideo in Belgio satisfacet qui Matutinum recitare incipit 17 momentis ante horam secundam legalem, cum jam adsit hora secunda, juxta tempus medium computata.

**Punctum IV. Qua ratione recitandae sint Horae.**

**57. I.** Nullus locus vel situs corporis determinatus requiritur ad congruam Breviarii recitationem privatam. Genuflexiones enim, quae quandoque rubricis praescribuntur, ad solam recitationem in choro spectant. (S. Alph. n. 179) Non est igitur cavendum nisi ab iis quae legi naturali adversantur, quatenus impediunt quominus cum debita attentione officium persolvatur.

**II.** Recitatio debet esse **vocalis**. Nempe non sufficit ut solis oculis vel mente Breviarium legatur, sed oportet ut motu linguae et labiorum vox aliqua saltem tenuis formetur. Attamen satis probabile est, secundum S. Alph. (n. 163), non requiri ut qui solus recitat seipsum audire possit: hoc enim non videtur de essentia vocis.

Quando officium recitatur cum socio (quod semper licet), sufficit ab isto audire lectiones, responsoria, capitula, orationes et antiphonas; immo probabiliter satisfit ab eo qui solus dicit psalmos et lectiones audit, vel qui partem psalmorum dicit solus et partem cum socio. (S. Alph. n. 162) Si non percipiuntur distincte ea quae ab altero dicuntur, probabilius nihil est repetendum quacumque tandem ex causa id contingat, sive propter aliorum strepitum, sive propter culpam socii. (S. Alph. n. 163; Ball. P. n. 229) Minime necessarium est ut qui in socium adhibetur et ipse sit ad Horas obligatus: sufficit enim ut quae ab Ecclesia praescribuntur, a quolibet praestentur. (Gury, II. n. 88)

Surdus, juxta communiorem sententiam, non satisfacet, si ex obligatione choro assistit suamque tantum partem recitat, ac proinde necesse est ut ea quae non audit postea suppleat vel, dum ab aliis canuntur, submisce dicat (S. Alph. l. c.; Ball. P. n. 230); alii tamen, etiam recentes (ut D'Annib. III. n. 51, nota 38), valde probabiliter eum satisfacere existimant, quia chori obligationes et jurae aequa lance metiri oportet. Probabilius satisfacet surdaster, etiam cum socio recitans, quia prolata ab altero saltem in confuso audire potest. (S. Alph. l. c.)

**58. III.** Recitatio debet esse **integra**, sine syncopa vel abbreviatione verborum et syllabarum. Attamen, ut tenearis sub gravi ad repetendam partem non integre recitatam, necesse est ut mutilatio magna sit et sensus notabiliter varietur. Venialiter peccaret qui syllabas ita mutilaret



vel syncoparet ut tamen aliqua significatio verborum servaretur, quod contingit ex. gr. quando **postremae** tantum verborum syllabae abscinduntur. Nullum autem esset **peccatum** vel repetendi obligatio, si haec levis mutilatio contingeret ob **balbutiem** vel ob pravam consuetudinem quam quis deponere quidem **conaretur**, sed non posset. (S. Alph. n. 165)

Qui cum socio recitat, **tenetur** ad repetendum ea quae in magna quantitate omissa fuerint eo **quod** unus partem suam inceperit antequam suam absolverit alter, quia **pars** quae anticipatur non communicatur cum socio qui eam percipere **nequit**; non tenetur vero si socius syllabas quidem obtruncavit, sed ita ut **sensus** non notabiliter mutaretur. (S. Alph. l. c.)

**IV.** Recitatio debet esse **continua**, ita ut singulae Horae absque interruptione notabili **recitentur**. Quae regula elucidabitur sequentibus animadversionibus :

1° Interruptio notabilis **in** unius Horae recitatione non caret culpa veniali, nisi ex justa causa **fiat**; numquam tamen ad mortalem pertingit. Cfr. n. 53, II.

2° Etiam facta **interruptione** notabili, probabilius nulla est obligatio repetendi ea quae sensum **completum** in se habent, puta versiculos psalmi interrupti : nam **variae** partes satis uniuntur per intentionem pergendi in recitatione. (S. Alph. n. 168)

3° Causae justae **interrumpendi** censentur quaelibet utilitas propria vel aliena quae **incommode** differretur, urbanitas, devotio, caritas, ex. gr. ad excipiendam **confessionem** alicujus qui non libenter expectaret. Licite etiam **interponi** potest aliqua oratio brevis vel affectus. (S. Alph. l. c.)

4° Laudes a Matutino **separari** possunt, etiam absque ulla causa : sunt enim probabilius Horae **distinctae**. Quod si fit, juxta plura responsa Romana (S. C. R. 18 Maii 1883 et 1 Febr. 1886), Matutinum concludendum est sicut ceterae **Horae**, scil. dicto : *Dominus vobiscum* etc. addenda est oratio diei **cum** versiculis solitis et Pater Noster. Ita multi AA. jam ante haec **responsa** statuebant, nisi rubrica quae idem fieri jubet in nocte Nativitatis **Dñi**, in qua Missa statim post Matutinum celebratur.

5° Nocturni quoque, **absque** causa speciali, ab invicem sejungi possunt, saltem spatio trium **horarum**. Ob causam rationabilem, ampliolem distantiam inter illos **ponere** licet, ex. gr. vespere primum, mane duos reliquos recitando. (Gury, II. n. 86)

**59. V.** Recitatio debet **esse devota**. Ut talis sit, certe requiritur ut officium recitetur cum **intentione** colendi Deum : quae semper implicite

aderit si sumis Breviarum ut obligationem impleas, sicut soles. (S. Alph. n. 176) Insuper dubium non est quin venialiter peccet qui voluntarie distrahitur absque causa rationabili. Hoc enim commune est omni orationi : siquidem fieri nequit ut ille qui verba ad Deum dirigit, simul, ob rationem turpem vel otiosam, mentem ad alia divertat, quin aliquam irreverentiam Deo irroget. Attamen omnis culpa aberit, si mens ad alia divertitur ob causam aliquam rationabilem; immo quandoque necessarium est ut simul ad orationem et ad alia saltem remisse attendatur, ex. gr. in orationibus quas rubricae sacerdotem recitare jubent dum sacras vestes induit. (Suar. de Relig. tr. 4. l. 3. c. 4. n. 13)

Magna autem et intricata quaestio est : utrum satisfaciat substantiali obligationi qui officium recitat cum distractione plene voluntaria, an sub gravi partem sic recitatam repetere teneatur.

Prior sententia communior et probabilior affirmat ad satisfaciendum requiri aliquam attentionem veram seu internam, ideoque non satisfieri ab eo qui omnino voluntarie distractus recitet. Plerique autem hujus sententiae fautores admittunt sufficere quamlibet e tribus attentionis speciebus quas distinguere solent : *spiritualem*, qua attenditur ad Deum, meditando ex. gr. divinam bonitatem, majestatem, mysteria passionis **Dñi** etc. ; — *litteralem*, qua attenditur ad percipiendam verborum intelligentiam ; — *materialem* seu *superficialem*, qua attenditur tantum ad verba sine errore, mutilatione, etc. pronuntianda. Neque requiritur attentio formalis, sita in actuali advertentia, sed sufficit *virtualis* in eo consistens quod semel habita non fuerit retractata actu voluntatis jam attendere nolentis. Ita sentiunt Sanchez (Cons. l. 7. c. 2. dub. 28), Suar. (de Relig. tr. 4. l. 3. c. 4. n. 6), S. Alph. (l. 5. n. 177), etc.

Potior ratio hujus sententiae, secundum S. Alph. (l. c.), inde desumitur quod sine attentione interna nequit existere oratio, quae universe definitur : elevatio mentis ad Deum. Ecclesia igitur, eo ipso quod praecepit recitationem officii per modum orationis ad colendum Deum, praecepit quoque aliquam attentionem internam, sine qua vera oratio dari nequit.

Posterior sententia sane probabilis tenet ad satisfaciendum ecclesiastico praecepto non requiri attentionem internam, sed sufficere eam quam *externam* vocant. Haec sita est in absentia distractionis externae, i. e. alicujus negotii vel occupationis externae quae ex se distrahere debet ab attentione interna, ut esset fabulari, scribere, attente audire alios loquentes, etc. Ut servetur illa attentio externa, non est opus vitare actiones quae tam parum occupant mentem ut cum aliqua interna attentione componi queant, qualia censentur communiter : ambulare, se lavare, lente vestes induere, sternere lectum, respicere agros, etc. Notandum quoque aliquas actiones tales esse ut uni, non alteri, omnem



attentionem internam impossibilem efficiant : quare satisfaceret tantum ab eo qui eas cum attentione interna componere posset. (S. Alph. l. c. n. 176) Supponitur tamen semper in hac sententia manere in homine voluntarie distracto intentionem virtualem colendi Deum per illam officii recitationem in qua pergit. Haec sententiam propugnavit Lugo (de Euch. disp. 22. n. 25 seqq.) saltem ut probabilem, et sequuntur multi AA. enumerati apud S. Alph. (l. c.), qui et ipse eam ut satis probabilem habet.

Rationes potiores videntur :

1<sup>o</sup> Non constat Ecclesiam sub gravi praecepisse attentionem internam. Ita S. Antoninus (t. 3. tit. 13. c. 4. § 7) explicans c. *Dolentes* (Deer. l. 3, tit. 41), quod a pluribus allegatur ad contrariam sententiam fulciendam : " Praecipimus ut unusquisque die ac nocte dicat horas suas ; intentionem (attentionem) et devotionem in praecepto non ponimus, sed gratiae Dei, secundum quod Ipse dare voluerit, duximus relinquendum. Et hunc intellectum teneas, quia benigniorem et quia non debet Ecclesia alicui laqueum injicere. "

2<sup>o</sup> Orare est loqui cum illo quem oramus, repraesentando ei nostra desideria : est enim oratio petitio decentium a Deo. (Vol. I. n. 258) At nihil obstat quominus cum aliquo loquar eique desideria mea manifestem cum actuali et voluntaria mentis evagatione, ut si ex scripto aut memoriter petitionem aliquam coram rege recitarem, etiam voluntarie simul mentem ad alia distrahendo. Ideo, si cum intentione petendi decentia a Deo preces recito in hunc finem compositas, manet substantialis, quamvis imperfecta, oratio. Cadit igitur praeceptum argumentum cui contraria sententia innititur. (Lugo, l. c. n. 31)

3<sup>o</sup> Si non satisfaciunt qui voluntarie distrahuntur, consequenter dicendum est (quod nemo admittet) neque satisfacere eos qui involuntarie distrahuntur. Nam utrumque tollitur elementum essenziale orationis eo fere modo quo parum refert utrum somnus voluntarie an involuntarie irreat postquam officium divinum recitari coeptum est. (Lugo, l. c. n. 36) Nec juvat recurrere ad attentionem virtualem. Nam nequit intellegi quid sit illa attentio virtute manens. Attentio enim est actus intellectus, qui nequit dici virtualiter manere eo quod antea adfuerit, dum nunc maneat tantum voluntas attendendi, quae tamen nihil operetur : unde patet discrimen cum intentione virtuali, quae in effectibus saltem perseverat.

Revera (ut fatetur Lugo, l. c. n. 41) quotiens oratio continuatur, datur aliqualis attentio interna. Id evidenter necessarium est, ubi recitatur pars Horarum quae nondum est oranti notissima. Si quis vero recitat ea quae jam memoriter novit, poterit quidem ab attentione plena et reflexa abstinere, sed aliquam tenuem et confusam attentionem semper fovebit : siquidem ipse actus memoriae est actus cognoscitivus. Talis

attentio fere recidit in eam quam multi prioris sententiae patroni sufficere autumant, nempe ad sola verba, et talem ut sufficiat ne quis se exponat periculo male ac perturbate verba pronuntiandi aut quaedam omittendi : qualis attentio haberi potest ab eo qui simul voluntarie ad alia distrahitur, puta quaestionem aliquam metaphysicam revolvens. Ideo multi AA. verbo petius quam re dissident. (Lugo, l. c. ; Ball. P. n. 254)

Practice igitur de gravi peccato arguendus non est, neque ad rependum obligandus qui voluntarias distractiones in recitando Breviario admisit, modo abstinuerit a peragenda simul actione quae ex se eum prorsus impediatur ab ulla interna attentione praestanda.

#### Punctum V. Quenam causae a recitandis Horis excusent.

**60. I. Impotentia physica**, ut per se liquet. Ad hanc referuntur :

1<sup>o</sup> *Carentia Breviarii*. Si tamen haec carentia culpabilis est, puta quia Breviarium voluntarie domi relictum est, neque aliud in loco in quo itinerans versatur haberi potest, manifestum est omissionem inde secuturam imputari ea ratione qua dictum est Vol. I. nn. 13 et 116.

Si quis, obligatus ad Breviarium Romanum, non haberet nisi aliud breviarium a R. P. quibusdam concessum, puta Benedictinum, probabilius ex isto officium recitare deberet. (S. Alph. l. 5. n. 158) Probabilis tamen videtur sententia contraria, quam tuentur Salmant. (tr. 16. c. 1 n. 28) : siquidem S. Pius V edicit neminem qui ad Breviarium Romanum obligatur, alia formula satisfacere posse. (n. 50, IV)

Qui vero Horam quamdam integram memoria teneret, ad eam recitandam obligaretur. Huc spectat prop. 54<sup>a</sup> ab Innoc. XI damnata : " Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil teneretur, quia major pars trahit ad se minorem. " Ratio est quod praeceptum Ecclesiae est virtualiter multiplex, ad singulas Horas se extendens. Idem dicendum si quis Horam moraliter integram memoria teneret, ex. gr. ignorando tantum Capitulum vel Orationem.

Tandem qui psalmos tantum aut notabiles partes Horarum memoria teneret, in sententia multorum (S. Alph. l. c.) ad haec recitanda obligatur ; ab aliis autem (Sharez. de Relig. tr. 4. l. 4. c. 28. n. 10 ; Ball. P. n. 209) probabilius excusatur, quia illi psalmi vel partes ut sic non sunt Horae Canonicae in illa forma ad quam solam clerici tenentur.

2<sup>o</sup> *Caecitas*, cum exceptione supra posita pro eo qui Horam moraliter integram memoria teneat : quam certe addiscere non debet. (Suar. l. c. n. 14)



**61. II Impotentia moralis**, seu notabile incommodum per accidens cum recitatione conjunctum. (Vol. I. n. 114) Ad hanc referuntur :

1<sup>o</sup> *Infirmitas*. Haec non necessario debet esse gravis, sed sufficit tanta ut nequeat recitari Breviarium sine gravi incommodo vel probabili talis incommodi periculo, ex. gr. si quis prudenter timeret inde securitatem notabilem gravedinem capitis, crudelitatem stomachi vel virium lassitudinem ; si quis oculis caligaret, etc.

Potest quandoque manere causa excusans, etiamsi infirmus per magnam diei partem librum aliquem ad solandum animum legeret : nam major attentio ad officium requisita majorem quoque affert difficultatem. (S. Alph. n. 154) Haec tamen plurimum pendent ab indole et dispositione aegrotantium, quorum alii aliis multo vehementius in Horis recitandis fatigantur.

Ut causa aegritudinis admittatur tamquam sufficiens, non requiritur certitudo illius notabilis incommodi, sed sufficit probabilitas orta ex iudicio medici, superioris, alius viri prudentis vel ipsius aegroti, si tale iudicium prudenter ferre potest. Pariter, ad vitandas anxietates, qui ob infirmitatem suam certus est se totum officium recitare non posse, de parte autem dubitat, ad nihil obligatur. (S. Alph. l. c.)

2<sup>o</sup> *Convalescentia a gravi morbo*. Haec causa excusat saltem ad dies aliquot donec vires reficiantur, etiamsi convalescens jam Missam celebraret. (S. Alph. l. c.)

3<sup>o</sup> *Exteriora impedimenta*. Sic excusantur clerici publico carcere detenti, si Breviarium recitare nequeunt nisi inter alios damnatos, cum status clericalis dedecore : quod tamen nostris diebus, ob consuetudinem singulos vinctos singulis cellulis includendi, raro contingeret. Cfr. S. Alph. n. 142.

Si quis ob oculos caligantes, scrupulos, etc., Breviarium recitare nequiret nisi cum socio, certe ad eum adsciscendum non obligaretur, quando id sine aliquo incommodo facere nequiret, puta si ad hunc finem pecuniam solvere vel multum disquirere deberet. Ubi vero absque incommodo socius haberi posset, ad eum adhibendum obligaretur : est enim hoc medium ordinarium et primaevae Horarum institutioni valde consentaneum. Merito autem rejiciunt Salmant. (tr. 16. c. 3. n. 43) distinctionem quam facit Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 37. n. 54) cum quibusdam aliis (Berardi, Prax. Conf. n. 3341) : ad socium adhibendum teneri illum tantum qui eum antea adhibere solebat, non autem reliquos. Nam, si eadem est utrimque facilitas, non apparet quare majus onus imponatur ei qui talem consuetudinem fovet. Id tantum vere dici potest : ab eo qui libere hanc consuetudinem iniverit, eam generatim absque incommodo servari.

**62. III. Necessitas** alicujus actionis quae nec possit simul cum recitatione officii conjungi, nec relinquat liberum tempus ad illud recitandum. Hinc excusantur :

1<sup>o</sup> Qui urgentur repentina necessitate alicujus *laboris* ad quem ex munere suo tenentur, puta lectionis, contionis etc. et quocum Horarum recitationem componere nequeunt. Patet tamen id de extraordinaria tantum occasione, non de ordinario muneris labore intellegi posse : nam clericus, qui tanto labore obrui soleret, vel munus dimittere vel dispensationem petere deberet.

2<sup>o</sup> Qui officium recitare non posset nisi dimittendo *opera caritatis* magni momenti, Praeceptum enim humanum non obligat cum tanto detrimento caritatis. (Suar. l. c. n. 35) Hinc excusantur clerici qui per totum diem excipiunt confessiones quas differre non possint, qui infirmis assistunt, vel sub noctem ad moribundum vocantur, neque ante mediam noctem tempus Vesperis recitandis reperiunt, etc. Rarisime, ut notat S. Alph. (n. 156), istae causae per se sufficientes erunt ad excusandum, sed saepe sufficient ut a Superiore concedatur dispensatio.

**IV. Legitima dispensatio** quam concedere potest absque ulla limitatione Rom. Pontifex. Episcopi autem et Superiores Regulares, vi Juris communis et abstrahendo ab amplioribus privilegiis quae interdum obtinent, dispensare possunt cum singulis, ob justam causam et ad breve tempus. Cfr. Vol. I. n. 119 seqq. ; S. Alph. n. 159.

Ab onere Breviarii solvuntur clerici in majoribus constituti qui, ex dispensatione S. Sedis, ad statum laicalem redeunt ; et religiosi sollemniter professi, sed nondum in majoribus constituti, qui ejiciuntur vel ex indulto S. Sedis ad saeculum redeunt. (S. Alph. n. 142 ; D'Annib. III. n. 153)

Quando divini officii recitatio in alias preces commutatur, hae quoque ex virtute religionis obligant et quidem sub gravi, si materia tantae obligationis capax est (n. 312) : nam subrogatum sapit naturam ejus pro quo subrogatur quantum ad id quod per se et intrinsece pertinet ad talem subrogationem, ut de votorum commutatione dicit Suarez (de Rel. tr. 5. l. 6. c. 20. n. 16). Attamen moniales quibus conceditur ut officium laicarum tantum recitent, non nisi sub levi ad id tenentur, quia laicis assimilantur. (Pelliz. Man. Reg. t. 2. tr. 2. c. 6. n. 16) Idem dicendum de clericis quos commutationem faciens diserte a gravi obligatione ob justam causam, puta vitandae nocivae anxietatis, solvisset.